


COSMETICAE
IN
ARTIS FORMAM REDACTAE
SPECIMEN PRIMUM

PRAESIDE
CAROLO AVGVSTO DE BERGEN
MED. DOCT. ET PROFESSORE PUBL. ORD.

HAEREDITARIO IN ROSENGARTHEN
RESPONDENTE

MICHAELE MAXAI
TRANSYLVANO-SICULO.

- - - munditia crimina nulla meret. Ovid. de Med. fac. 28.



FRANCOFURTI AD VIADRUM d. 23. Martii MDCCLIV.

TYPIS SIGISM. GABRIEL. ALEX.



COSSMETICAE

ARTS TOTUM

OPUS AVGVSTI DE HERGEN

ET DOCT. ET CAST. WOLFF

LIBRARIUS

LEIPZIG

MICHAEL





§. I.



e *Cosmericis* hac acturi vice dicendi initium facimus ab hujus vocis sensu apud doctos & vulgus recepto. Pleraque scilicet recentiorum medicorum scripta si evolvimus, imo & vulgi notiones examinamus, unanimi fere consensu in eo conveniunt, per *cosmetica* non nisi mangonia, fucos, pigmenta, quibus mulieres ad celandos cutis naevos utuntur, intelligenda esse. A quo sensu, cum veteres, longe recedant, artemque, quæ de pigmentis & fucis tractat, alio designent nomine, nostrarum esse partium intelligimus, utramque rem curatius definire.

§. II.

Cosmetica, ἢ καὶ κοσμητικά ἀπὸ τῆς κομῆς, ab ornamento, decoratione, munditia, dicuntur honesta remedia, a quibus haud fucatus, aut adscititius splendor conciliatur, sed insitus potius, naturalisque pulchritudinis nitor, vel in universo corpore, vel in parte quadam conservatur, aut restituitur. In substantivo denotat artem sive methodum, qua ex principiis materiæ medicæ rationalis, per congrua remedia naturalis pulchritudo non solum conservatur, sed & restituitur, quo in sensu largiatur quisque necesse est, *Cosmeticam* esse partem medicinæ, quæ tam ad hygieinam, quam pharmaciâ spectat, quæque dignitate medici plane inferior non est.

§. III.

Commotica græce, τὰ κομωτικά ἀπὸ τῆς κομῆς a lenocinio, ornatu
A 2
fisto,

fisto, fucō, vocantur pigmenta & fuci, quibus mulieres lenocinantur suæ formæ, ut vitia celent artificio similitatis, quæ vera sunt mangonia, & qua de arte sentit PLATO (a) esse rem noxiam, fallacem, ingenerosam, illiberalem, figuris, coloribus, lineamentis, & sensu quodam ita decipientem, ut propter extrinsecum fucum propriam veramque formam negligamus.

§. IV.

Hanc vero differentiam (§. 2. 3.) ulterius probaturi in limine notamus medicos hætenus sub nomine cosmeticorum promiscue & cosmetica & commotica stricte sic dicta intellexisse, & perperam confudisse, quæ tamen merito sejungimus, nostræque tractationis ordinem sic disponimus, ut primo hoc in specimine de *Cosmeticis stricte sic dictis*, in secundo autem de *Commoticis stricte sic dictis*, & in tertio si otium & vita dabitur de *Cosmeticis & Commoticis antiquorum tractaturi* simus.

§. V.

Utramque artem olim a medicis imo personis illustribus excultam, ut patet ex libris *ἡδονικῶν* CLEOPATRAE & CRITONI ad scriptis, nec non fragmento NASONIS de *medicamine faciei*, his nostris temporibus e foro medico penitus proscripam & indignam habitam jure dolemus, quin potius existimamus, medicos innocentibus cosmeticis pulchritudinem conservandi ac restaurandi studio pari obligatione teneri, ac morbos curandi, cum mundities ad conservationem sanitatis faciat, & medici æque morbos curandi, quam valetudinem conservandi officium sit. Unde GALENUS (b) merito inquit, *valetudinem, actiones, bonum habitum, ac pulchritudinem simul crescere, simulque minui, simul perfici, ac simul etiam deleri. Ergo si de valetudine agere nulla controversia ad medicos spectat, cur non ad eosdem etiam de pulchritudine, quæ accessorius est illius effectus. Commotica quidem, quod nemo inficari potest, circa mangonia & fucos versatur, haud tamen censemus eam penitus damnandam, aut istos medicos culpandos esse, qui hæc talia matronis cuticulam curantibus procurant aut præscribunt. Formosus quippe sexus, juxta illud OVIDII.*

Virginibus cordi grataque forma sua est.

ex innato quodam instinctu ab omni ævo mirabili ostentandæ pulchritudinis cupiditate flagravit, ut adeo illis, quæ naturam novercam experiuntur, vitio

(a) In Gorgia. ex editione Marsil. Ficini Lugduni 1590. p. 288.

(b) Ad Therapsibul. Cap. XV.

SPECIMEN PRIMUM.

§

vitio dandum non sit, si vitiligines & maculas faciei unguento occultare, aut exoletæ cutis nitorem fucis instaurare conantur. Quid enim quæso sceleris subest? si cœles bulbo vitreo, aut edentulis vetula, eburneis dentibus naturale dedecus celant, aut quædam Cypassis comam dominæ suæ arte atque lege fingit & compositam in statione ponit, aut Abrodiaetus quidam, ante ætatem canus, canitiem capillamento tegit, nonne omnes hi ornatus, qui non sine simulatione & mangonio fiunt, per consuetudinem ita sunt probati, ut vitii notam præ se amplius non ferant? Nolumus tamen idæo quemvis fucorum usum adprobare, valet enim & hic illud tritum: *Nequid nimis*. Medium ibunt tutissimi, ne risui & opprobrio se se exponant. Neque altero extremo favemus Cosmeticam & Commoticam damnanti, & cum PAULO ZACHIA (c) utramque indignam iudicanti, quo minus sine peccato, aut præscribantur aut administrantur.

§. VI.

Nulli quidem inficiamur medicos passim in scriptis materiæ medicæ cosmeticorum mentionem facere, sed confiteri tenemur, hoc cursim duntaxat & tralatitè fieri, ut *Celeb. VELSCHUIS*, (d) cosmeticam veterum æque ac recentiorum desideratis medicis jure adnumeraverit. Qui ergo sperare licet, cosmeticorum principia & operandi rationem, ad rationis & experientiæ obrussam evocari posse, quamdiu potius, ut hæcenus factum esse dolemus, ars hæc inter empiricos sepulta latet, quibus non datum est inertia ab activis, proficua a deleteriis segregare. Pro virium itaque modulo conabimur cosmeticam in artis formam redigere, ut constet eam esse materiæ medicæ rationalis partem, adeoque exulem immerentem.

§. VII.

Cosmeticam rationalem vocamus methodum cosmeticis utendi talem, vi cujus ex ipsorum principiiis constitutivis, & reactione corporis cui applicantur, eorum effectus & operandi modus determinatur. Ad hanc igitur condendam necessaria est cognitio analysis physico-chimicæ cosmeticorum simplicium & compositorum, nec non notitia anatomico-physiologica cutis & cuticulæ, aliarumque partium, quibus admoventur, ut eorum effectus solide dijudicari queat.

A 3

§. VIII.

(c) *Quæstionum Medico Legal lib. VI. Tit. Quæstion. 7. §. 21. p. 1463.*

(d) *In Somnio Vindiciani.*

§. VIII.

Cutis adiposam telam musculosque tegens, membrana est crassa, tenax, cedens & elastica totius corporis humani ambitum circumdans, paucis aperturis exceptis, in quarum limbo desinit. Per adiposam autem membranam cuti substratam penetrant vasa sangvifera & nervi (e) ab interioribus ad cutim vadentia, serpentino quidem ductu, ut fieri aliter in dilatabili adeo corpore nequit, quarum pars potior ad cutim pertingit, minor vero in hac ipsa membrana distribuitur. Vasa ad cutim decurrentia, rectiore tramite secundum cutis faciem internam pergunt, & uti repletio cum cera docet, ad angulos sese interfecant, speciem retis pulcherrimi formando, cujus laterales propagines magis divisae cutim penetrant, & visum subterfugunt. Nervi subcutanei cutim quidem cum suis duris involucri ingrediuntur, sed ea intra cutis substantiam deponunt, ab altero externoque latere prodeuntes nudi, molles, mobiles, sese undique erigentes in tubercula tenuissima, pulposa, pyramidalia, papillas dicta, quae tactus organum constituunt. Has sub forma granorum minimorum nudis contemplari licet oculis, in cute ab epidermide & reticulo malpighiano per simplicem macerationem orbata, inprimis vola manus pedisque planta, ubi copiosissimae sunt. In tali porro cute cera repleta manifesto apparet una cum nervis, ad has papillas vascula sangvifera coire. Eiusdem naturae praeparatis anatomici detexerunt in cute folliculos seu cryptas, suis emissariis extra cutim hiantes, in facie & pectore praerimis spectabiles, sui generis humorem spissum unctuosum, sebaceum, fecerentes, qui cutim inungit, flexilem & mollem servat, & ab effectu aeris exsiccante praeservat. Contigit semel Domino Praesidi felicem istiusmodi repletionem cutis faciei vidisse, quae praeter innumeras, quibus scatebat papillas nerveas, copiosissimis foraminulis pertusa erat, aliis majoribus, aliis minoribus, & plerisque materia candida crassiuscula repletis, quam non sine ratione glandulas haec fuisse existimat, felici injectione repletas. Alterius porro indolis reperiuntur folliculi, seu potius bulbilli, partim intra cutim, partim sub cute in tela cellulosa, qui pilos gignunt, cutim perforantes & ad quos pariter nervi & vasa sangvifera decurrunt.

§. IX.

Circa propriam cutis substantiam obscuri sunt auctores, insufficiens-

(e) BARTH, EUSTACH, *Tab. Anatom.*, XXI. XXII. XXIII. XXX.

cientia quoque tentamina & experimenta. MALPIGHIUS (f) hanc vult componi ex fibris oblique ductis, & reticulariter inofculatis, sed cujus originis sint, non declarat. Nobis, si conijcere licet, persuasum est, cutis substantiam compositam esse texuram ex continuatis fibris subjacentis cellulosaë, & depositis cutaneorum nervorum involucris, dense adeo invicem compactis & adunatis, ut opus coactile (ein Silk artig gewebe) repræsentent.

§. X.

Tota cæteroquin cutis cum cuticula interventu membranæ mucosæ reticuli speciem efformantis cohaeret, quod in sui inventoris memoriam *reticulum Malpighianum* vocatur, & secundum nostram sententiam totius cuticulæ, qua late patet stamina & matricem constituit, quod ubi tenerum est, molle & succosum, ubi crassum & coriaceum, siccum & fibrosum magis exhibet reticulum. De hujus origine, substantia & functione adhuc inter physiologos & anatomicos disputatur. Sunt qui hoc ipsum continuationem nervorum cutaneorum, sunt etiam, qui propagata papillarum nervearum involucria, aut etiam, productionem vasorum lymphaticorum esse contendunt, unde aquisitionem pro nervosa, ab aliis pro vasculosa aut membranacea habetur substantia. Functionis intuitu plerorumque opinio est, ob nexum cutis cum cuticula formatum esse, qui tamen usus secundarius, non vero primarius nobis videtur. Pluribus cæteroquin rationibus convicti statuimus, hoc rete formari ex sui generis vasculis nulla arte amplius replendis, & quidem ex concursu capillarum vasorum & nervorum, quæ materiam liquidam ipsius cuticulæ continuo eructant, donec ad superficiem deponatur & in speciem solidæ & lamellatæ concresecat membranæ. Notamus porro, hoc rete ad papillas cutis eminentes areas formare, quæ illis transitum largiuntur. Est & propria coloris nativi in cute sedes, nigerrimi quippe in aethiope, fusci in Americanis & albi in Europæis.

§. XI.

Epidermis seu *Cuticula* est membrana tenax, tenera ubique, nisi in locis attritui & pressioni expositis, nullis vasis gaudens (g) ex fluido humore in solidum stratum densata & siccata, sensim per squamulas, nunc

(f) *Operum posthumorum* p. 28.

(g) *Præparata* anatomicâ docent, cuticulam nunquam cera repleti, unde nata est encheiresis, qua epidermidem post injectionem separant anatomici, ut color præparati jucundior fiat.

nunc majores nunc minores decidens, & successive per vim vitæ succrescens. Falluntur autem anatomici, qui perhibent, hanc desquamationem copiosissimam esse in vola manus & planta pedis, cujus contrarium potius ob cuticulam callosam obtinet. In capite autem trunco & brachiis frequentior longe est. Undequaque in areas & sulcos exsculpta est, quæ scatent innumeris poris, seu foraminulis, quibus respondent pili, oscula arteriarum exhalantium, venarum bicularum, & emissaria folliculorum sebaceorum, quæ omnes partes ope hujus tegminis universalissimi, in situ & directione sua firman- tur & ordinantur. *Celeb. RUISCHIUS* (h) affirmat, cuticulam nihil aliud esse, nisi expansionem papillarum nervearum, cui sententiæ quo minus subscribamus, præter sensus absentiam, vetant omnino ea, quæ superius dicta sunt. Denique in cuticula faciei multi reperiuntur pori nigrescentes pulchritudinem defoedantes, qui nihil aliud sunt, quam oscula folliculorum sebaceorum (§. 10.) copiose congesta & pasta sebacea tenaci repleta, quæ moram nectens, pulvisculos colligit & nigrescit. Digito compressus istiusmodi porus, finit hanc massam pultaceam transire per angustum suum canalem, sub forma spirarum, *vermes* vocant vulgus, *nepones* & *borones*, medici, quos & tales quoque jurares, quoties nigrescens apex albo præfixus cylindro speciem tarmittis mentitur. Usus cuticulæ primarius in moderando sensu exquisito nervosæ cutis consistit, ad accidentales vero pertinet munditia & pulchritudo, circa quos usus hac vice potissimum nostram considerationem figimus.

§. XII.

Omnia hæc integumenta, cuticula vix excepta, gaudent in vita sensu & motu quodam oscillatorio, quo fibræ solidæ nunc se constringunt, nunc se relaxant, neutrum horum fieri poterit in magno, quodam gradu, quin fluida cutis, nunc adcumulentur intra vasa, nunc iterum expellantur. Deinde cum non minus cutis undique perfusa sit vasculis bibulis & exhalantibus, a functione dictis, altera causa mutata conditionis in cutē dependebit a resorptione humorum cuticulæ applicatorum, quæ pro natura, sua nunc attenuantem, nunc condensantem effectum præstabunt.

§. XIII.

Cosmetica ergo ceu topica secundum has partium cutis adfectiones

(h) *Thesaurus Anat.* 32. n. 2.

ones non alium fortiuntur effectum, nisi primo squamas cuticulæ (§II), fibras reticuli malpighiani (§IO), cutis texturam (§8.) laxandi & emolliendi, secundo easdem has partes solidas constringenti, fluidas autem condensandi, & tertio, solos cutis humores attenuandi & discutiendo agitandi.

§. XIV.

Quæ cuticulam cutisque fibras emolliunt, imprimis si tepida fuerint, rigorem, asperitatemque cutis, reflexam lucem facile suffocantem, tollunt, eamque teneram & pulchram reddunt, gratam rubedinem conciliando. Admotis enim tepidis externi aeris pressionem calore minui, fibrasque laxari, indeque capillaria vasa intumescere, & ubiorem ex vasis subcutaneis sanguinis quantitatem haurire, nulla probatione indiget. Quæ modice adstringunt cosmetica poros cuticulæ occludendo, non perspirabile Sanctorianum solum, sed & capillarum arteriarum sanguinem augent, & hoc ipso tumidum & amœnum reddunt cutis habitum. Attenuantium & discutientium nomen merentur, quæ humores cutis, eosque qui cuti & epidermidi interjacent, ex quacunque causa viscidos & spissos redditos discutunt, attenuant, sicque hac operandi ratione pristinum cutis nitorem restituant. Cutis enim, qua super totum corpus late patet, permultis morbis concipiendis apta nata est, qui sui ablationem omnino desiderant, nam ut alia omnia taceamus, est quædam fusca cutis rubedo, quæ a sole inferitur, cujus radiis particulæ sanguinis terrestres & biliosæ adeo quasi aduruntur & figuntur, ut mucosæ membranæ (§IO), imo cuti (§8) firmiter sese intexant, & colorem cutis natura album propria fuscitate corrumpant. Quæ condensationis effectu fluida cutis alterant, vel sunt adstringentia, vel obturantia, hæc perspirationem insensibilem ad tempus sufflaminant, humores cutis cogunt, poros obfirmant cutemque turgidulam reddunt. Studio hic prætermittimus acrium & causticorum topicorum effectum, cum, quæ solutionem continui causantur, qualia sunt escharotica ac vesicatoria, cosmeticorum catalogum non ingrediantur, adeoque nulla explicatione indigeant.

§. XV.

Ex hac cosmeticorum divisione sponte fluit, illa cumprimis, quæ simplicia sunt, & non ex diversæ naturæ ingredientibus componuntur, commode sub tribus titulis comprehendi posse. Hos ergo facillioris intellectus causa in eisdem tabulis redegimus, quarum prima cosmeticorum emollientium, secunda, adstringentium & condensantium,

B

tertia

tertia attenuantium & discutientium exhibet catalogum: Ad calcem tandem sequitur tabula cosmeticorum compositorum, de quorum omnium effectu & operandi ratione pluribus agemus.

Tab. I.	Tab. I.
Cosmetica emollientia, scilicet	- - Bulbor. Narcissi
aqueo mucilaginea, oleosoaque	Gummi ceraforum
unguinoso-pingvia	- - Arabici
Aqua putealis	- - Tragacanthæ
- - pluvialis	Mucilago Rafur. C. C.
- - fluvialis	Album. ovi
- - fontana	Cerevisia alba
- - nivalis	Emulsiones sem:
Aquæ desillatae	Cucumeris
- - Liliörum albor.	- - Cucurbitæ
- - Nymphaeæ	- - Citrulli
- - Melonum	- - Amygdali
- - Flor Fabarum	- - Cannabis
Anthirhini	- - Lini
- - Sigilli Salamon.	Papaver. alb.
- - Spermat. Ranar.	- - Melonum
Aqua flor. omnium. quæ frigide &	- - Pini &c.
calide usurpantur.	Lac muliebre
Vapores calidi horum aqueorum.	- - Asfininum
Infusiones & Decocta.	- - Caprillum
Herbar. Verbasci	- - Vaccinum
- - Parietariæ	Cremor lactis dulcis
Rad. Althææ	Pinguedines animalium
- - Glycyrrhizæ	Canis
Fructuum Caric. ping.	Taxi
- uvarum Corinth. Damascen.	Sperma Ceti
Mucilagines femin. Psyll.	Medulla ossium
- - Cydonior	Olea expressa
- - Hordii	- - Amygdal. dulcium.
- - Zeæ.	- - Pistaciorum
- - Ervi	- - olivarum.
sem Lini	- - Seminis sesam
Anthirihni	Huc quoque faciunt litus, fatus,
Sem. lupini	unguenta, cataplasmata, emplaira
Rad. Irios Florentin	emollientia
	Tab. II.

SPECIMEN PRIMUM.

II

Tab. II.	Tab. II.
Cosmetica adstringentia, quæ si-	- - Rosarum
bras raborant & constringunt,	- - Violarum
contenta fluida densant, sunt	- - Calendulæ
Infusiones & Decocta.	fuccus Limonum
Foliorum Theæ	- - Citri
Alchimillæ	- - Aurantium
Plantaginis	Solutiones Vitrioli albi
Quercus	- - Aluminis
Rosar. rubrarum	- - Boracis
Acetum simplex	Spiritus vini rectificatissimus.

Tab. III.	Tab. III.
Cosmetica abstergentia, saponacea,	Urina hominis sani
discutientia, attenuantia.	Serum lactis acidulum
Aquæ destillatæ.	Pulpa citri cum sale mista
- - sempervivi majoris.	Acida præcedentis Tab.
- - flor. Rosar.	Sapo simplex
- - Isalmi	- - Venetus
- - Lillior convallium	- - Hispanicus
- - Citri	Sapones cosmetici
Aqua cum mercurio crudo cocta.	Thus
Aqua cum sulphure crudo cocta.	Myrrha
Aqua calcis vivæ.	Benzoe
Decocta herbarum antiscorbuticarum	Gummi Ammoniacum
Saliva hominis sani	Sal Ammoniacum

Tab. IV.	Tab. IV.
Cosmetica composita quæ nobis hac	- - HOFMANNI
virtute insigni gradu prædita esse	Aqua calci calcinati
videntur.	Lotio camphorata FULLERI.
Aqua cosmetica D. EMERII.	Balsam. cosmeticus CNOEFFELII
Pomatum Ejusdem.	Aqua ex acido citri & mercurio
Sperma mercurii ERHARTI	sublimato
Tinctura cosmetica SCHROEDERI	Ceratum ex pomis Borgsdorfianis
- - MICHAELIS	& succo uvarum.

§. XVI

Paucis nunc tabularum cosmeticarum contenta lustraturi, ab aqua initium facimus, eamque cosmeticorum facile princeps nuncupamus,

ab ipsa natura ad hunc usum destinatum, quo sordes cutis abluuntur, ejusque natus nitor restituitur, sicuti omnibus in confesso est. Quo vero emollientem simul effectum praestet, eam oportet esse tepidam, utpote laminas cuticulæ (§16) & fibras cutis (§8) vasorumque tum relaxantem & penetrantem. Longe autem abest, quamvis promiscue aquam eodem gradu esse cosmeticam, cum inter simplices aquas *stuvialis* & *pluvialis* antecellat *fontana* & *puteali*, utpote magis duris & ad solvendas cutis sordes ineptis. Inprimis *nivis aquam* magis esse cosmeticam quam simplicem quamcunque, patet ex IOBO Cap. XIX, *Eriam si me aqua nivis laverò, measque manus purissime emundaverò*. Cuius rei ratio in eo latere videtur, quod aqua nivalis, non emolliendi solum, sed etiam abstergendi virtute polleat, prægnans quippe est particulis salinis, quas potius nitrosæ, quam lixiviosæ indolis cum *Cl. TEICHMEJERO* (i) dixerimus. Quidquid sit, notum hoc est mulierculis nostratibus, nivem martiam in usus cosmeticos studiose colligentibus. *Fontes saterii* raro his usibus inserviunt, inprimis qui terra martiali & vitriolica turgent, ut notum est de Pyrmontanis aquis, saponem difficillime solventibus. Prædictarum aquarum simplicium vires, tanto efficaciores erunt, si facies & partes mundandæ, earum *vaporibus calidis* exponantur. Calor quippe aquosorum vim emollientem mire auget, purpuram sanguinis per cutem diffundit, fibrasque & vasa relaxat. *Aque stillatitia* I. Tab. tepide usurpata non solum emollientem, sed & absterforium præstabunt effectum, quod etiam cæteris paribus de *infusis* intellectum volumus, licet potentius emolliant. *Cerevisia alba* ex tritico, aliquando ex avena parata, emolliente & absterforia pollere vi, nemo facile negabit, & cosmeticam esse testatur PHILIPPUS GREULINGIUS (k). *Soluta mucilagines* vegetabilium, *Gummique soluta* non solum emolliunt, sed & oscula cuticulæ obstipando excernenda remorantur, cutisque habitum turgidulum & splendentem reddunt, imo quod memorare oportet, a solis nocivis effectibus, lentiginibus, ephelidibus tutam præstant faciem, quo sine aqua rosarum cum ovi albumine & mucilage seminis cydoniorum miris a quibusdam extollitur laudibus.

§. XVII.

Mediæ aquosa inter & oleosa virtutis sunt varia *lactis genera*, quæ quo tenuiora, eo potentius abstergunt, quod idem propemodum valet de emulsivis vegetabilium, non solum enim emolliunt, sed &

(i) *Physic Experimental* p. 170.(k) *Medicina practica lib. V. Cap. 6. §. 3.*

& poros infarciendo sanctorianum vaporem ad tempus retardant, cutemque floridam reddunt. Ipse *lactis cremor* propius de oleorum effectu participat. POPPEAE NERONIS conjugis balnea cosmetica (L.) ex lacte dulci historicis sunt nota. Et quis est, qui temere negat, internum, eumque continuum lactis usum, cutim non posse candidiorem reddere, ad minimum Belgarum feminarum exemplum hoc ipsum probare videtur, quæ copiosis lacticiis utentes, faciei manuumque grata albedine se se commendant. Et cum cutis color a conditione reticuli Malpighiani (§9) dependeat, non refragabor, si quis existimat, mucosa hujus retis stamina a continuo lactis nutrimento niveam quasi albedinem contrahere.

§. XVIII.

Oleosa blanda, quæ acridinis sunt expertia, siue sint animalis siue vegetabilis profapiae potenter admodum emolliunt, relaxando enim cutis fibras sanguinem a subcutaneis arteriis (§8) alliciunt, & spissitudine sua perspirantium vasorum oscula obturant, ut hinc retenta fluida spectabiliori cutim purpura diffundant, eamque floridam & turgidulam sistant. Cum primis anthirrhini flores, femina, folia, radices manibus contrectatæ unctuositatem relinquunt, quæ totius plantæ expressione, oleum fundit blandum, cutis asperitatem mire demulcens & reliquorum oleorum cosmeticorum virtutem superans. Succurrit hic nobis neoterici cujusdam elogium, quod oleis scopo cosmetico adhibitis, in universon tribuit, quando *Celeb. D. SENAC (m)* ita dixerit. *les Femmes auroient le visage toujours jeune, si elles pouvoient y conserver le gonflement de la jeunesse, qui produit le blanc par la tension de la peau, & le rouge par la plénitude des vaisseaux sanguins. Les couleurs appliquees, toutes les sortes de fard, ne sont qu'une vaine représentation de ce qui devoit erre, & je conçois un moyen d'y mettre de la realité. Il faut empêcher la transpiration de visage moyennant quoi il s'y fera dans les petits vaisseaux une heureuse obstruction de la lymphe & la peau se tiendra plus tendue. Voyla le blanc & le rouge & point de rides, on ne peut rien souhaiter de plus. Or l'huile empêche la transpiration, & il ne faut, que s'en froter le visage, ou n'y appliquer, que des drogues, dont l'huile soit la base & non plus des plâtres, qui en sechant la peau la rident encore d'avantage.* Optandum saltem foret Cl. *Encomiasten* specificæ etiam magis designatæ species oleorum, ad hunc finem magis congruorum, nam ut nobis videtur, promiscuus & continuus oleorum usus in multis nationibus

B 3

(L) PLINIUS *Lib. XI. c. 41. IUVENALIS sat. VI.*(m) *Hist. de l' Acad. Royale des sciences. 1725. p. 20.*

nibus sinistrum profusum effectum habet, quoniam cutis exinde magis fulca redditur, quam pro climatis ratione naturaliter fieri solet. Forte etiam quorumcunque oleorum cosmeticus effectus praestantior foret, si prius iteratis rectificationibus ad summum pelluciditatis statum fuerint redacta. Neque observata licet hac cautela, fore crediderimus, omnem rugarum proventum impediri posse, qui potius ob succorum blandorum iacturam, & solidarum fibrarum rigiditatem cum aetate inevitabilis est.

§. XIX.

Agmen emollientium cosmeticorum hic claudunt *litus, forus, unguenta, cataplasmata, emplastra*. *Unguenta* agunt ut oleosa, *forus* calore suo pressionem aeris externi minuendo, humorum affluxum in cutem augent, humiditate sua ejus fibras relaxant. *Emplastra* satis densa & sine acredine parte oleosa relaxant, parte viscida & tenaci poros obstitendo iacturam roris sanctoriani impediunt. *Cataplasmata* aquae intuitu agunt ut *forus*, tenacitatis respectu, ut emplastra. Emollientium quoque effectum ad pulchram elonginquo reddendam faciem toties admiramur, quoties arcanam methodum, qua delicatae matronae & virgines roseum sibi genarum colorem conciliant, perpendimus, quibus nempe in consuetudine positum est, ut, antequam in publicum prodeunt, omnis absoluto jam ornatus molimine, molli podicem lavacro facient, ut tanto pulchriorēs videantur.

§. XX.

Cosmeticorum, fibras cutis, squamasque cuticulæ *raborantium & constringentium*, quæ Tab. II. exhibentur, parvus duntaxat est numerus, paucis itaque etiam explicari possunt. *Solutiones Virrioli* cuiuscunque speciei sit, sistere liquores stipticos, nemo est qui negat, *viride* tamen propter copiosam martialem, & *album* propter cretaceam terram huic scopo praferimus. Isteiusmodi solutiones, inprimis si temperatae fuerint, & ad saturationis punctum non evectæ, frigide applicatae, strata cuticulæ firmant & poros integumentorum constringendo transpirantis humoris copiam remorantur, densantque, unde cutis magis sanguine & humoribus infarcitur, colorque vividior exurgit. Eadem propemodum ratione se habet *Aluminis solutio*, quod licet nihil metallici recondat, terra sua cretacea & acido vitriolico menstruum aquosum impregnat viribus austeris & adstringentibus, fibras cuticulæ adhuc fortiter cogentibus. Non minus inficiandum non est infusiones foliorum *alchimilla, plantaginis, tormentilla, foliorum quercus* effectu suo adstrictorio lavamenta constituere, quæ poros cutis

tis constringunt, crassiores excrementitios humores repellunt, eamque æquabilem reddunt, infusiones vero foliorum theæ & rosarum siccarum propter mediocrem principii oleosi volatilis portionem cum terra adstringente conjunctam & adstrictoria & deterfiva virtute esse acturas.

§. XXI.

Si Tabulam *attenuantium* & *abstergentium* cosmeticorum percurramus, utique in propatulo est, præstantissima cosmetica ex ea desumi posse, quorum non pauci sunt, quæ certis quibusdam fœdatae cutis vitii medentur. Prædictæ *aquæ destillata fragrantés* non solum per se, sed etiam cum aliis deterfivis congruam giuntur vehicula pro comminuendis & resolvendis pulverulentis deterfivis. *Acidula & acida* huc pertinent extra dubitationem positum est. *Acetum simplex* & quod additis vegetabilibus fragrantibus conficitur, præterquam, quod varias faciei maculas delet, vim habet refrigerantem, humectantem, dissolventem, penetrantem. *Secum lactis acidulum* & ipsum *lac ebulliatum* refrigerant & guttam rosaceam emendant. Potentius id facit *pulpa citri cum sale misa* & in liquamen resoluta, quæ ob vires deterfivas, faciei cuticulam abstergendo eam teanem & utentem reddit, ut mirum non sit, summum istud magnatum cosmeticum ex hoc succo & mercurio sublimato parari. Aqua simplex, sive cum sulphure crudo, sive cum hydrargyro coquatur, poterit abstergit, ac multos arcani cosmetici nomen tuetur. *Ur nam puerorum* cosmeticam esse norunt nutrices, quæ pueros proprio lotio lavant, faciemque sic serenam, vultumque placentem conciliant; etenim præternominabilem salis culinæ quantitatem, urina inprægnata est particulis salinis salis ammoniaci analogis, quibus saponaceus & abstergivus effectus denegari non potest. *Aquam calcis vivæ* imprimis cum stillatitiis florum fragrantium aquis factam principio suo alcalino potenter abstergentem & resolventem, inter cosmetica primi nominis recendentem esse nulli dubitamus. *Concreta* quædam *resinosa*, & *gummeo-resinosa* vegetabilium vi sua abstergentia, mundificantem exserere effectum varii non solum Auctores, sed & tot præparata pharmaceutica demonstrant, sic *tinctura resinæ Benzoes* vel etiam resina in substantia, cum aqua stillatitia fragrante abit in lacteum liquorem, quem lac virginis salutant, liquorem, ad maculas faciei tollendas, & splendenter cuticulam reddendam, apprime convenientem. *Myrrham* porro inter cosmetica deterfiva locum habere liquamen ejus in albumine ovi comprobatur, quod proprie præter varos & lentigines in tenera reddenda cuticula quoque commendatur. Obiter hic notasse juvabit, hoc liquamen improprie a pharmaco-pœis vacari oleum myrrhæ, cum potius sit simplex hujus resinæ deliquium mediante humido sulphureo salino albuminis factum. Myrrhæ quoque pulvis candenti laminæ ferreæ injectus inspersis, simul vini guttulis largitur vaporem viribus deterfivis & abstergentibus faciei teneritudinem conservantem, restaurantem, in primis si vapor a facie linteo raro tecta excipiatur. Quin imò *gummi concreta* non excludimus, quæ salino aquoso menstruo soluta, liquores constituunt abstergendi virtute omni opere commendabiles. Testis nobis est THOMAS BARTHOLINUS (n) qui gummi ceraforum in aceto solutum & cum bulbis lilior albor. contusus & lacte dulci destillatum, tanquam egregium cosmeticum summis extollit laudibus. Tandem salia quædam ut *sal. ammoniacum, beracem* ex classe deterfivorum cosmeticorum non excludimus, cum prostant Auctores materiæ medicæ hæc ipsa ad hunc usum commendantes, sed raro per se usurpantur, si-

quen-

(n) *Lib. de peregrinatione medica p. 56.*

quentius cosmetica composita ingrediuntur. Nihil frequentius est in lotionibus & pro mundanda cute ipso *sapone*, qui abstergit & fordes cutis eluit, hinc vix securior cura neponum (Sto) est, quam si hęc pasta, aqua saponata exprimitur, pauca tum aqua reginae Hungariae guttula hos vacuatactos folliculos roborant & huius generis maculas delent. Majorem effectum cosmeticum sortiuntur saponis acriori alcali donati ut *Venerus* v *Hispanicus*, si in aquis stillantibus fragrantibus solvuntur, quibus meliora in fibris cutis flexilibus reddendis, squamisque cuticulae teneris servandis, inspissatis inter cuticulam & cutim humoribus attenuandis, & sordibus externis eluendis, non novimus medicamina.

§. XXII.

Possimus hic opellæ colophonem inponere, nisi *aliorum* foret, recensionem quorundam cosmeticorum compositorum negligere, quorum desiderato effectui quicquid derogare velle dummodo rite in usum vocentur, idem esset ac experientia contradicere. Absit autem ut multas hic formulas transcribendo præter necessitatem hanc scriptionem in incensum extendamus. Sufficiat nobis primarias tam eorum quæ in libris prostant, quam quæ nobis comunicata sunt indicare, unamque vel alteram ad examen revocare. Qui ingentem farraginem cosmeticorum aequæ ac commaticorum desiderat, præter B. PORTÆ, PEDEMONTANI, WECKERI *libros de secretis* pluribus mendacius quam veritatibus referos, adeat cosmetica CNOEFFELIANA (o) nec non LEMERII libellum (p). De quibus tamen utique verum est, *sunt bona mixta malis*. Quæ nobis præstantiora visa sunt, sunt primo illud quod ex spermate ceti & aqua fabarum paratur (q). Suam quoque laudem meretur illud quod ex talco cum Borace sapuis calcinato & aquis Lilior alb & sigill Salam: conficitur, licet famoso isti oleo talei, quod caput inter cætera extolitur, ceu non entis chymico, parum vel nihil tribuamus. Calculi fellei taurorum cum spiritu vini largiuntur tincturam cui SCHROEDERUS (r) abedincem conciliandi virtutem tribuit, cuius sententia ob saponaceam bilis indolem facile calculum nostrum subscribimus. Nullum denique quod majori si ve emolliendi si ve abstergendi effectum polleat novimus cosmeticum, quam quod Cel. COHAUSEN (s) revelavit, quod tamen, cum modestis auribus sordidam admodum videri possit, hic enarrare recusamus, quorum interest ipsum adeant observationis auctorem. Ceratum istud cosmeticum aequæ ac vulnerarium cuius mentionem fecimus in Tab. IV. ob præstantiam suam hic describere non reuimus R. Pomor. Borgsdorffianorum No VI. Succii uvar maturarum recentur expressi ℥iv Aquæ Rosar. fragrantis ℥ii Butyr. recentis non salci nec loti ℥℥ Ceræ flavæ ℥jv Concis: misceantur, indantur tigillo, coquantur lento igne, separeturque spuma, donec nihil amplius appareat, tunc calida massa trajicitur per setaceum & post refrigerationem dentio lento igni inponitur, & per quadrantem horæ spatula agitur, cavendo ne ebulliat. Compositorum cosmeticorum operandi ratio explicatius quidem difficilior est, at enim vero non impossibilis, dummodo enim uniuersusque ingredientium proportio, moles & energia consideratur, facile patebit vel roborando & constringendo, vel abstergendo & discutendo, vel emolliendo & humectando, vel conjunctim extriplici capite vires suas exferere. Sed ne limites plus iusto extendamus, vela hic contrahimus & beneuolum Lectorem inpense rogamus, ut siquidem in quibusdam forte vel nimium dubitabundi vel erronee deprehendamus, nostrum facere nobis permittatur illud OVIDII:

*Si quæ meo fuerint ut erunt vitiosa libello.
Excusata suo tempore Lector habe.*

(o) in Ephemer N. C. Dec. I. Append. 186. (p) Recueil des curiosités à Paris 1684. 12. (q) Vide Act. Hafniens. 1676. p. 77. (r) Pharm. Med. Chim. lib. V. clas. I. p. 271. (s) Act. Physic-Med. vol. IX.


01 A 6509

ULB Halle

002 931 249

3







7.

COSMETICAE
IN
ARTIS FORMAM REDACTAE
SPECIMEN PRIMUM

PRAESIDE
CAROLO AVGVSTO DE BERGEN
MED. DOCT. ET PROFESSORE PUBL. ORD.
HAEREDITARIO IN ROSENGARTHEN
RESPONDENTE

MICHAELE MAXAI

TRANSYLVANO-SICULO.

munditia crimina nulla meret. Ovid. de Med. fac. 28.



FRANCOFURTI AD VIADRUM d. 23. Martii MDCCLIV.

TYPIS SIGISM. GABRIEL. ALEX.